

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Joachim Krisow Andreas Dittman

Disputatio Theologiae naturalis De Providentia Dei

Rostochii: Kilius, 1672

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730582663>

Druck Freier  Zugang



Ru. phil 1672
Joachim Knisow
Andreas Ottmann



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730582663/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730582663/phys_0002)

DFG

MODERANTE PROVIDO DEO
Disputatio Theologiæ naturalis

^{De}
PROVIDEN-
TIA DEI,

^{Qnam}
Amplissimi Philosophorum
Ordinis Consensu publicæ
disquisitioni

^{Sub PRÆSIDIO}
M. JOACHIMI
KRISOVII,

exhibit

ANDREAS Dittman/

Spandoà Marchicus

Autor & Respondens

In acroaterio majori Anno 1672.
ad diem 4. Decemb.

ROSTOCHII,
Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr.



Academiae Rostochiensis
Magnifico
DN. RECTORI,
ut &
**Cœteris omnium Facul-
tatum Professoribus Excel-
lentissimis**

*Viris Admodum Reverendis, Amplissimis, Consultissimis,
Experientissimis atq; Clarissimis
Dominis Patronis, Promotoribus atque
Præceptoribus venerandis
xtatemq; Colendis
hoc Academicum Specimen in debitæ,
pro tor beneficiis, gratitudinis mo-
numentum & ulteriore studio-
rum commendationem.*

*Submissè offerunt
dicantque*

PRÆSES

&

RESPONDENS



I. N. J.
Proœmium



Agna providentiæ Dei
per vitam utilitas est; hæc
enim non solùi homines
officii sui terminos egræ-
suros, si ad animum revo-
cetur, nulli suum pecca-
tum ex providentia Dei
impunè futurum, potest
continere, sed etiam eos
qui honestatis & recte factorū studio ducuntur,
confirmat, summum numē non modò suos co-
natus probare, verūm etiam in finem optatum
velle provehere; quæ fiducia eos in operibus
eò facit alacriores, & quicquid molestiarum
se offert, intrepido superare animo docet; hinc
nonnulla de insigni hac exhibere materiā pro-
posui, hoc imprimis tempore, quo nullam di-
vinæ providentiæ apprehensionem in plurimo-

rum animis esse exinde palam fit, quod plus quam belluino ausu in omne nefas, quasi Deus nec honestati præmia, nec delictis poenas constituisse, ruunt. Adesto providentissime Deus & meum negotium tui fiducia suscepsum in nominis tuo gloriosos mihique solitaires dirige fines.

§ 1.

Providentia à providendo habet nomen; providere autem est ante videre Beermann: de Origine Latini Ling: pag. (michi) 804. Scilicet præsentire antequem contingat; ut enim primia vox videre, est eorum quæ sunt, ita providere est eorum quæ nunc non sunt sed tamè evenient, testatur hunc horum verborum sensu Cicero pro Mure: ubi ita: est boni consulis non solùm videre quid agatur verū etiā providere quid futurū sit. Græci utuntur vocabulo προνοίας, quam vocem sibi quoque apocrypha vendicat scriptura confessio. 12. 3. estque πρόνοιας item actus mentis ante aliquid percipientes. Hebrais & quidem Rabbinis ex primitur providentia per קדשָׁה quod à verbo קדשָׁה est subtiliter videre & dispicere, sumitur vos providentia interdum strictius, ut ejus & præscientiae nullum maneat discrimen, ita notat simplicem futuræ rei intuitum, ad quem sensum expressit cicero Providentiae definitionem: providentia est, per quam futurum aliquod provideant antequem eveniat; Cicero de inventione, sed nobis latior providentiae vox est & ultra præscientiae vel prævisionis genuinam significationem extendenda; talis quippe prævisio est tantum providentiae generaliter acceptæ initium & primus actus, cum haec insuper decretum prospiciendi & actum conservandi gubernandiq; includat, quod ipsum ut plenius cognoscatur, sciendum, providentiam divinam plures complecti actus quasi materiales 1. πρόνοιας & rerum futurarum notitiam 2. πρόθεσης sive propositionum agendi 3. ipsam διοίκησην, vel Conservationis motus & gubernationis rerum productarum oœconomiam, qui ultimus actus forma-

formaliter providentiam in sua essentia constituit; unde ulterius
differentia præscientiæ & providentiæ apparet; quod illa sit rerum
futurarum (licet enim scientia, quæ est simplex & abstracta à re
futura & non futura præscindat, tamen præscientia ad illa quæ
futura sunt, tendit) ast providentiæ objectum non est res futura
vel demum producenda; non enim ipsum decretum gubernandi
mundum, sed potius ejus exsecutionem, vel ipsam gubernationem
hic attendimus; sed jam producta, quia providentia juxta Scalige-
rū Exerc; 31. est quædam continuatio existentiæ, oportuit ergo pro-
ductionem præcessisse, & sic providentia non potest non earum
rerum esse quæ jam sunt, præscientia autem earum quæ erunt.
Inde definitur per futurorum notitiam. In diversa insuper prin-
cipia hæc actus reducuntur, cum præscientia solius sit intellectus,
providentia etiam & quidem potissimum voluntatis. Quomodo
decretem à providentia distinguendum sit ex jam dictis puto li-
quere, breviter decretum de re efficienda vel quoconque modo di-
rigenda facit sententiam; providentia vero eandem disponit
ordinat & sapienter gubernat. Fatum nonnulli providentiæ Syno-
nymum faciunt; sed liberando vox à stoica necessitate itemque
ab ambiguitate quam apud Physicos & Astrologos habet, & sic illud
quod discriminis ergo Theologicum vocant, ratione originis de-
certo, ratione communis usus providentiæ potest æquivale. De
Fato vide waltherum in oratione peculiariter de hac materia anno
1649. habita.

§. II. Dari talem circa res conditas Providentiam probamus
ab infinita, Dei perfectione; solus inter omnia, quæ sunt, immu-
tabilis est Deus, coetera mutabilia; Deus aëternus, reliqua tempo-
ralia; Deus independens, causa prima, purus actus &c. Creatura
dependens, causa secunda, imperfecta; quod autem excellentissimæ
perfectionis in aliquo genere, ita ut alia quicquid habent, ab eodem
participent, non solum, omnium quæ sunt, in illo genere causa est,
sed etiam reliqua conservat, regit & eorum actiones in certos or-
dinat fines; connexio probatur; quia ille, cui absoluta perfectio &
illimitata assignatur potentia non solum sit oportet omnium re-
rum primus & summus, sed eas quoque sua potentia, imperio &
authoritate continet regatque, si enim unica actio ab universali
auminis imperio eximitur, πατούματις & universalis rerum
omnium moderatoris majestatem sustinere amplius nequit; in-

in dignum est dicere unicum militiae universae hominem à regimine
supremi Imperatoris excipi , nefas unicam creaturam vel ejusdem a-
ctionem divinæ subtrahere providentia ; tangit hanc rationem Sta-
stagirita l. 12. Metaph. c. 10. Porro si in minimo negotio agens se-
cundum absque primo versatur , hoc non effundit suam perfectio-
nem in causam secundâ , hæc sine eo operatur , itò existit perfectio
in secundâ quæ non reperitur in prima vel ab ea distinguit causa ;
itaq; non hæc omnium perfectionum est productiva ; sicut per sin-
gulas perfectiones quæ ex prima in secundam redundant causam ,
hæc speciatim urgeri possunt . Hæc causandi primitas , qua Deus
in perficiendo & providendo ad omnia concurrit , non ignota fuit
gentilibus , nuncupatim Aristoteli , quem præter meritum alii
propter abnegatam penitus divinam providentiam criminantur .
Ille lib. 7. Ethic. Evidem. c. 14. his quæ asseruimus , gemina habet ,
patet , inquit , sic esse quemadmodum in universo est , Deus & vicissi-
sim cuncta in illo , moyentur enim omnia ab inexistente nobis numi-
ne p. 369. & libro de mundo , quem ad Alexandrum scripsit ; ut verò
summatis jam loquamur , quod in navi gubernator est , quod in-
currus agitator quod in choro Präcentor , quod deniq; lex in civita-
te , & Dux in exercitu , hoc Deus est in mundo &c. p. 122. non inte-
rim negamus gentiles providentiam astruentes & dubitasse sapienter
& errasse in pluribus . Probamus 2. Ex Creaturæ indigentia ; hæc
per necessitatem suæ naturæ absque divina providentia nequit sub-
sistere , & ut ipsa essentia , sic ejusdem actio continuum poscit causæ
primæ influxum ; homini citra Dei motum actiones intendentis simili-
liter fieret ut incendio furni Babylonici , hoc enim Deo influxum
suspendente non calefecit nec combussit pueros Hebraeos ; ita eti-
am agens secundum , subtrahente primo concursum in cassum fo-
ret ; ratio , quia causa secunda primæ subordinata , ideoq; hæc abs-
que illa agere nequit ; quorum enim unum alteri subordinatum est ,
eorum quoque unum alterius , ut concursum præstet , necessariò
indiget . Certè si radii & lumen solare non sunt nisi causante sole ,
neq; agens secundum non agente primo subsistet , magis quippe
creatura Deo quam lumen & radii à corpore luminoso dependent ;
Eleganter res declarari potest figura imaginis impressæ in aquâ à si-
gillo , & ponderis in aere sustentati à manu , nam tamdiu remanet
imago in aquâ quamdiu sigillum & amoto sigillo protinus evane-
scit ,

scit; itemq; tamdiu pondus in aere persistit, quamdiu manus illud sustentat, quod si manus non ulterius sustentet, illico in terram decidit; pariter creatura sine Dei conservatione & curâ in nihilum abiret, cuncta enim, non continentे Domini manu, in nihilum cederent. Probatum. 3. A consequenti absurditate; negata providentia sceleris hominibus in quodcunq; facinus ruendi aperitur porta, probis verò & bonis nullum superest perseverantiae incitamentum aut innocentiae fulcrum, patet prius; Deum, quippe res mundi non curantem nec curat impius, irrisa omni religione, rejecto honestatis & virtutis studio sibi quodlibet licere opinatur, & licet superiores atq; illi, quibus reliqui parent non solum leges ferant, sed eas quoq; penitus arment, ut ita quilibet prenæ formidine in officio possit retineri, nulla tamen hominum statuta sufficient vel improbitati obicem ponent, nisi leges non tam vi & armis quam fide & Deo niti credat; quis enim tum prohibebit, cum animus occultandi sceleris specie sibi blanditur; immo quid de superioribus fiet; hi enim cum sibi per Machiavellum persuaderi patientur, fortunæ & casui felicitatem non virtuti vel religioni veræ tribuendam; Item Deum quasi ex communi dividendo Magistris tibus terram regendam pro arbitrio tradidisse & caelo retento se superioritate vel majestate sua in homines exuisse, quoniam noverunt sibi legem non esse positam, quorsum non illos libido peccandi abripiet? sed si Deum non solum Cœli, verum etiam terræ Dominum & supremum rectorem meminerint esse, item grave imperium graviori subjici, facilius meliori consilio dabunt locum seq; non solum hominibus præesse sed & homines esse & ad futuras rationes teneri recordabuntur. Manifestum quoq; est posterius, scilicet bonos in suâ integritate per opinionem oppositam impediiri, omnis honesta actionis fomes est, virtutem suam tandem à tergo laudem sequi, qna sententia animis hominum evulsa: (evelit autem contraria thesis) omne virtutis studium labascit, quiq; gnaviter & strenue eam persecuti sunt, hoc fulmine, non habere Deum providam humanarum actionum curam, perculti resilient: Imo nullum levamen superest, innocenter & præter meritum afflictis; ultimum cum alijs, humana ope destitutis, solatum sit divina Providentia, quorsum etiam nos natura sine doctrina perdere, videmus enim & audimus homines perturbatos repentinō metu

Qne deliberatione, instigante interno numinis sensu, ad Dei auxilium provocare; imò omni hominum præsidio denudatos ultimam in Deo provido fiduciam collocare; id quod suo exemplo probant etiam in gentilismo Trojani, hi enim naufragium passi & ad Carthaginis oram appulsi se in magno fore omniaabantur periculo, quod numerosa & barbara gens Africæ reliquis Trojæ vix parsura videbatur, sed fiducia divinæ Providentiae animos timidis addebat fore scilicet, ut Dei metu, Carthaginenses sibi ab injuria temperarent; D. Klotz in Theol. nat. disp. 3. p. 106. 107. alia argumenta, quæ pro nostrâ sententia adduci possent, nunc, imprimis cum citata totum negotium confidere videantur, lubens omitto; Videantur Philosophi pariter atq; Theologi, de hac materia passim.

§. III. Est autem, ut rem ipsam aggrediamur, Providentia, divina actus Dei, quo res a se, conditas in tempore convenienter & prudenter administrat; Est actus Dei, divina enim omnipotencia duobus actibus sese ostendit, 1. creationis, rem quæ non erat, faciendo ut esset, 2. Concursus & gubernationis ejusdem essentiam sustentando & in columem servando, ut enim per productionem, omnia quæ sunt, acceperunt esse, ita per conservationem permanentiam in illo esse, nisi enim natura ab eodem sustentaretur a quo producta, statim, defectu auxili sui parentis, ortum repetitura esset; Idem autem Deus & creator & conservator naturæ est, secus in artificibus, ubi unus efficit, alter rebus effectis consultit, aliū artifices in hoc solùm ponunt, operam ut rectè efficiant nec quicquam curant amplius ut architecti, qui vertumao exstructis ædibus imposito dilcedunt, eas pluviis tempestate & quibuscumque fortunæ casibus committentes; alii solùm procurant & provident, ut bulci & pecudum pastores, sicut hanc rem egregiè diducit Nemesius lib. de homine c. 42. Idem verò Deus & efficit, & ut quælibet integra maneat, procurat.

§. IV. Objectum Providentiae sunt omnes res conditæ; non ergo præstantiores creaturæ tutela & provisioni divinæ subjiciendæ & viliores (licet nunc minutiora Dei opera, quæ hominum, opinio facit abjecta, conferendo cum majoribus, sic appellare) ab ea extimere; omnes promiscuè res provida Dei gubernat cura; non solùm incorruptibiles & cœlestes essentiaæ a Deo conservantur & gubernantur uti exempli c. sol, qui ut est in se excellentissimum opus

opus quod admirabili suo splendore omnes in admirationem trahit, ita maximum hominibus & quicquid rerum sublunarum est, ex divino instituto praestat beneficium; sed etiam corruptibiles mutationi & interitui obnoxiae, quae non sunt perpetuae, ut illae, sed aliis in suam vicem succedentibus, ordinante sic primitus eas conditore, cedunt; Quid passerculo contemptus, quid abjectius? & tamen Salvator asserit tantam ejus Deo curam esse, ut non cadat in terram sine patre nostro, hoc est, non præsciente & providente clementissimi Patris cura; immo propterea illae res tutori committenda, quod fragiles & mutabiles sibi ipsis consulere & firmitate sua subsistere nequeunt. Vera sententia est non solùm species sed quælibet earum individua, non solùm substantias sed & accidentia, immo quocunque creaturæ nomine venit à divina conservari & gubernari Providentia; ponendo autem creaturam excludimus peccatum, absit enim, ut Deum sanctissimum peccati causam efficien tem aut conservatricem dicamus, si quis aetus providentiae circa peccatum est ille est, directivus, qui peccato metam figit illudq; in bonos dirigit fines, de quo agere prolixius non est nostri instituti.

S. V. Ad modum Providentiae divinæ referendum, quod sit conveniens rerum administratio; sicut autem ubiq; ferè diffi culter modus, ita maximè in hoc arduo negotio exprimitur; quia enim Deus naturæ à se institutæ cursum ordinariè conservat, actio autem naturæ partim naturalis & necessaria est, ut in agentibus ~~et~~ ~~et~~ partim libera, variabilis & mutabilis est, hinc & Deum ad naturæ necessariò agentis actionem concurrentem oportet necessariò agere, ne ipse institutum à se ordinem evertat, quo ipso pericitatur ejus libertas; rursus cooperans naturæ ex arbitrio agentis tenetur ad modum activitatis ejus liberè agere, ne creaturæ actio per necessarium Dei concursum ad necessitatem redigatur; sicut autem actio creaturæ talis potest esse & non esse, si quidem isti causæ non repugnat tam istum effectum quam ejus oppositum producere, cum ad oppositos effectus indifferens sit, ita similiter oportet concursum Dei concipi; & talis actus necessariò aliquod additum erit, quia juxta rationem agentis inferioris oportet esse & non esse; quod potest esse, & non esse, illud dum est, contingens, dum non est, possibile dicitur, quod de ipsa essentia diuinæ utpote immutabili & maximè necessariâ affirmari nequit, quæ ratione

ratione rursus detrahitur ejusdem necessitati. Ad tollendam hanc difficultatem notandum actum concursus, & cooperationis divinæ spectari dupli modo, vel absolutè ut in Deo est, vel quoad $\chi\epsilon\sigma\pi$ & habitudinem, quatenus ad externum objectum, quod est creatura agens, progreditur: absolutè & in se consideratus actus ille non est liber, vel non habet indifferentiam ad esse & non esse, sed summam cum divina essentia necessitatem, quia talis actus fundamentaliter est ipsa essentia divina, idem tamen actus summè necessarius se liberè extendit ad objectum, creaturam, vel sine vel cum consilio agentem, ut circa illam induat rationem causæ naturalis, circa hanc causæ moralis, ut ipse tamen utroque ceu liberrimum ens sponte & liberè operetur; paucis sed nervosè totam rem effert D. Klotz l. cit. disp. 16. quæ creata sunt, ut agant naturaliter, in iis conservat vim naturaliter agendi; quæ verò sunt creata, ut agant liberè, in iis conservat voluntatem liberè agendi; & hæc est conveniens divinæ providentiae methodus, quo usq; eam generaliter licuit adumbrare.

S. VI. In specie quasi per partes vel distincta momenta explicanda est hæc providentia; sunt autem ejusmodi speciales actus tres; nimirum conservatio, concursus & gubernatio; Conservatio est essentiae continuatio, qua Deus creature in sua natura & naturalibus proprietatibus in creatione adeptis conservat; non solum indirectè, quasi tantum eas permitteret esse vel penè se comparetur, non eripiendo iterum, quam semel concesserat essentiam, vel duntaxat prohiberet eandem destruere, & omne quod quocunq; modo aut ei incommodare, aut penitus abolere posset, abarceret; sicut aliás conservator dicitur, qui adversus quamlibet violentiam, aut hostilitatem rem sartam testamq; jubet esse; tales enim modi merè permitti vel remotivi sunt; sed directè & positivè & influxu vero in ipsam rem sustentandam; cum enim res corruptibiles interius corruptionis principium in sua loveant natura, non solum externum destruens removendum, sed ipsa natura citra hunc influxum in nihilum ruitura est confortanda; quo tamen influxu omnis promiscuè natura sive corruptibilis sit sive incorruptibilis ex sua essentia conditione indiget, manifestius autem talis indigentia in corruptilibus sese ostendit, ideoq; à nobis in exemplum est adducta. Illa conservatio, si ex parte rerum conservatarum apprehendenda-

hendatur, est ipsa creaturæ effentia concepta cum dependentia sui à
Deo sustentante ac conservante.

§. VII. Secundus Providentiae actus est cooperatio vel con-
cursus, quo Deus in actionem creature juxta hujus indolem influit,
& simul cum ea ut universalis cum particulari causa effectum pro-
ducit; concursus hic non anteverit actionem causæ secundæ, can-
dens vel physicè ad agendum prædeterminando; hinc enim interna
necessitas imò violentia ei imponeretur & effectus causarum secun-
darum omnes inevitabiles fierent; vel moraliter svasu hortatuq;
eam excitando; quia hoc non sufficit ad causam secundam in opere
constituendam; excitata enim actio adhuc indigeret motu primæ
causæ; multò minùs concursus talis actionem subsequi singendus,
quia sic creatura, non expectata Dei cooperatione, actionem susci-
pere & ex se ipsa ad agendum sufficere posset, sed causam particu-
larem agere parantem concomitatur, quo enim se determinat
causa secunda, eò comitantem habet divinam cooperationem.
Perspicit Deus & prævidet tendentias naturales, ac liberas causa-
rum secundarum ad objecta, relinquens eas in potestate sua ad ea-
rum opera peragenda, concurrit secundūm dictas earum tendentias
& vires Scotus 3. dist. 17. q. unica ad 2. F. Et licet in signo rationis
prior statuenda naturæ intentio & ad agendum apparatus, ante-
quam eidem se divinus associet concursus, tamen in re nulla priori-
tas, cum naturæ determinatio individuum habeat Deum in coope-
rando comitem. Coeterū concursus hic est immediatus, non
tantum ratione virtutis sed etiam suppositi, cum interagens &
passum nullum interponatur suppositum. In causis secundis res
ibi agit ubi interdum non est, ut cœlum & stellæ per influxum in
dispositiones rerum sublunarium operantur. Thomas part. I. q. 104.
art. 1. & 2. Scilicet contactus ibi virtutis [est] non essentiæ; sed prima
causa in actionem secundæ immediate, ut ita loquar, subjecti
se demittit; non enim virtutem divinam extra Deum licet querere
ad eum modum, ad quem efficacia aliarum rerum sese effundit, ut
ibi ea sit, ubi res ipsæ non sunt; non autem causalitas primæ &
secundæ causæ confundenda; totus enim effectus huic tribuendas ceu
efficienti proximo; sic enim ad ministrat omnia que creavit, ut
ipsa etiam proprios agere & exercere motus sinat August. lib. 7. de
Civ. D. c. 30, neque ea in genere particularium causarum concursu

B 2

indiget

indiget sed Deo ut primo motore & agente in genere causarum universalium; inde distinctæ etiam manent actiones cause prima & secundæ, quia distinctas participant virtutes; ut enim una virtus in duobus vel pluribus suppositis existens unam modò arguit actionem, sic in diversis diversa, aliam atque aliam parit actionem.

§. VIII. Ultimus Providentia gradus est gubernatio, qua Deus actiones creaturarum moderatur regitque, ne temere decurrant sed in certum tendant finem; actio creaturæ ob certum suscipitur scopum, sed talem assequi ex se nequit causa particularis, adjumento ergo est causa prima, & quicquid deest, moderamine suo supplet. Dicis: cur ergo causa particularis non semper assequitur finem, quia ipsa deficiente prima & universalis causa in subsidium venit, unde g. tot monstra & abortus naturæ? vel talia finem assecuta esse vel divina directione destitui dicendum, quorum tamen utrumque est absonum. Ast Resp. causa universalis agit, quod ejus est, ipsius autem non est defectum naturæ particularis supplerre, nisi in particularem causandi ordinem velit transire, sed sufficit creaturam generali directione ad competentem deducere finem, vitium a. si quod hic est, in secundam redundant causam; certum enim & indubitatum est, cum duas causæ eundem producunt effectum, si quis defectus accidat, illum alterutri (sc. illi cuius erat effectum determinare) non utrique imputandum causæ esse. Porro causa secunda actione sua inclinat in definitum sua naturæ finem, qui in quantum est finis & bonus, cedit ulterius in summum finem qui est numinis æterni gloria, quo omnia tendunt vel mediatae per assignatum suo ordini scopum, vel immediate & formaliter per appetitum formalem & immediatum ultimi finis; ultimo modò tantum agunt illa, quæ actiones sui ordinis referunt ad gloriam summi numinis, qualia sunt creaturæ de summo illo fine in negotiis suis sollicitæ; multis autem modis causarum secundarum variant inclinationes, & multum à scopo suo aberrant, ut videre licet, imprimis in illis agentibus, quæ non modò non suo ordini præfixum assequuntur finem, sed omni nisu quoquè in contrarium ruunt; ast quia vires naturæ in potestate Dei providentis, hinc omnes ejus actiones etiam pessimas in optimum redigit finem, ut enim tota providentia ita ultimus ejus actus sc. gubernatio de divina testatur sapientia & bonitate; Ex perpetuitate enim creaturarum illarum intelligi-

gitur

gitur creator æternus, ex magnitudine omnipotens, ex ordine & dispositione sapiens, ex gubernatione bonus, dicente Augustino; & haec sufficiant de prudenti illa providentia administratione.

§. IX. Providentia divina cum simplex sit, divisionem non admittit; ex objecti tamen, hoc est, rerum providendarum diversitate despici solet in generalem & specialem; illa totinaturæ communis & est universalis in omnes promiscuè res directa cura; specialis verò earum est, quæ peculiari præ reliquis gaudent prærogativa, uti Deus singulari cura regit & tuetur naturam intellectuali & rationis participem, quemadmodum eam eximiis dignatus est in prima creatione dotibus, ita indesinenti studio eandem peculiariter conservat: quo respectu aliarum rerum curam interdum videtur insuper habere, quod tamen non absolutè sed certa fit limitatione; hoc sensu accipiemus fortassis, quod Apostolus Deum nullam boum habere rationem dictitat, sc. specialem, quæ cum illa quæ hominis est, possit comparari. De illa autem Providentia, quam Deus fidelibus promisit in sacris pandectis, & cuius fiducia quemlibet potest in bona fide statuere, hic non agimus, cum ea non sit rationis fœtus sed revelationis fructus, sed eam tantum persistamus, quæ naturaliter indagari potest, qualis est illa, quam nunc partim generalem partim specialem nuncupavimus.

§. X. Nunc ad oppositam partem vel eos, qui vel in gentilismo providentia contradixerunt, vel adhuc inter Christianos, sive ipsis verbis, sive certis hypothesis eam labefactant, deflectendum, & quid momenti in eorum sententiis, expendendum foret, sed nouimus hanc dissertationculam ultra svetum Academæ morem excrescere, videantur de hoc Authores passim; nonnullos tantum solutionum fontes indigitamus.

α) *amœbia* & confusio, quæ sapientia in mundo apparet, non probat defectum causæ universalis sed particularis & proximat

β) Item miserabilis virorum, quos probitas & fides ad meliorem commendat fortunam, fors, gentilibus sape extitit occasio in dubium vocandi divinam providentiam, prout de Claudio constat, sed potuit tale dubium solvi ex eo, quod Deus justus cum anima post mortem superstite secundum justitiam velit agere, quodque in consortio corporis merita est, tribuere; Christiano autem rem ex ratione, verbo illuminata, estimanti, hic facile consuli potest, no-

vimus enim scripturā monente , non prosperos impiorum successus sed exitus esse spectandos.

γ) Neque felicitatem neque majestatem divinam providentia rerum vel plurimarum vel minimarum impedit sive labefactat; non illud, quia talis cura in Deo non est laboriosa, ille enim agens quietit & in æternā felicitate quiescens operatur; non majestatem, conditorem enim suo operi prospicere quid gloriosius? si per illud quid decederet majestati, neque potuisset creare; immo in minimis rebus etiam maximus est Jehova, & quod hominum opinio vilius æstimat, humanis cogitationibus sublimius & augustius est. Vid. P. Martyr. in LL. h.t. p. 62. col. 2.

δ) Quando Nonnulli Dd. negant Philosophos gentiles divinam agnoscisse providentiam; id in telligendum non de universali totius mundi & omnium promiscuè creaturarum regimine; hoc siquidem inserviari non potuerunt; posito enim Deo ponitur ejus providentia, cum idem sit nullum & improvidum admittere Deum Vid. Cic. l. 2. de nat. Deorum, & probations in §. 2. adductas, sed singulari, quæ in Ecclesiæ directione & hominum lapsorum reparacione & salute manifestatur; cum enim de ipsa Ecclesia parùm fuerint solicii, id potius agentes, ut idolis & deastris suis constaret honos non potuit non eos modus regendi ecclesiam latere.

ε) Aliud est notitiam providentiaz, quam gentiles habuerunt, fuisse languidam, fluctuantem & cum formidine oppositi conjunctam; aliud vero eam fuisse nullam, sive eos planè ignaros fuisse; non negamus gentiles saepius in suspenso fuisse circa providentiam Dei; sed hoc profectum est partim ex ignavia & segnitie, quod noluerunt constantem & perpetuum creaturarum ordinem, ceu infallibile hujus asserti argumentum, accuratiùs examinare & immorum invictumque facienda fidei fundamentum collocare; ex quo tamen eos simpliciter ignorasse asserendum neutquam est; partim ex malitia, cum gliscentes hujus notitiaz igniculos debita opera suffocavere, vel violenter, ne erumperent, detinuere; siquidem maluerunt divina sine providentia vivere quam desideriis carnis non indulgere; licet conscientia contrarium svaserit, tamen perverse voluntatis libido præ valuit; nam in vitiorum mancipio sine uila consultatioue voluntas in flagitium fertur, & licet meliora quam voluntas elit, ab intellectu proponantur, non tamen voluntas

tas semper ab intellectu se determinari sinit, sed magis ob malisur-
reptum imperium illum eò per dicit, ut, dictamine vero relicto, ip-
sius appetitui assurgat, rationes falsas pro obtinendo sine excogitet
& subsidia ad eum obtinendum inveniat; hinc voluntas intellectum
excēcare dicitur, recta enim ratione exulare iussa, corrupta exur-
git, quæ hominem cœco impetu in flagitia dat præcipitem; Et
hæc corruptio naturalis luminis ignorantie tali causam dedit, quæ
pròpterea non excusationem sed potius penam & animadversio-
nem meretur; quia non simplex sed studio contracta est. Reli-
qua quæ hic monenda occasione objectionum adduci poterunt;
animus erat quæstiones & *πολιτεία* addere, sed nunc hæc
sufficiant; acquiescimus ergo in ea, unde exorsi sumus,
providentia; dicentes.

Provido Deo gloriam.



Ad

CLARISSIMUM

D N. PRÆSIDEM

publicantem,

Dissertationem Philosophicam

de

PROVIDENTIA.

Quām Deus is non sit, qui non providerit
orbi

Et quæ plura tuo Nomine digna, notas.

Nunc sedet, Orchastris Sophicas has credere
Lunas

Atque creatori pandere grata DEO.

Qui

Qui benè providit, qui pro. videt, atq; videbit
Immemor haut in Te Numinis esse potest.

Celerrimè Amico jucundissimo affectum
sic testari voluit

Augustus Varenius.

Ad Præstantissimum

DN. DITTMANNUM,

de

PROVIDENTIA

responsurū amicum & Commensalem.
dulcissimum.

Euge salutares eonatus, cæpta gubernet,
Quæ tua sunt, DOMINUS, prospera cuncta fluant;
Mi DITTMANNE theses doctas defende animos!
Claro Philosopho, Præside CRISOVIO!

M. Michael Wagnerus.

St Deus, & magnus nitidi fabricator olympi,
Terræ opifex, est & provida cura DEI.
Dirigat hæc eadem, quod, condita, provida
cura,

Et Cœlum & Tellus quælibet herba refert.
Hanc Tibi materiam laudis dum sumis Amice,
Gratulor, ut felix sit Tibi pugna precor.

Hac Pereximio & Præstantissimo DN. RESPON-
DENTI, amico suo optimo applaudebat

Johannes Schuckmann/ Rostoch.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730582663/phys_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730582663/phys_0019)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn730582663/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730582663/phys_0020)

DFG

gitur creator aeternus, ex magnis
spositione sapiens, ex gubernatione
sufficient de prudenti illa provisio-

S. IX. Providentia di-
admittit; ex objecti tamen, hoc
tate dispesci solet in generalen-
munis & est universalis in omni-
lis verò earum est, quæ peculiari-
vâ, uti Deus singulari cura regi-
& rationis participem, quemam
in prima creatione dotibus, ita
riter conservat: quo respectu
detur insuper habere, quod tan-
tatione; hoc sensu accipiens
Deum nullam bourn habere ra-
cum illa quæ hominis est, pro-
videntia, quam Deus fidelibus
fiducia quemlibet potest in bonis
ea non sit rationis foetus sed re-
pensitamus, quæ naturaliter in-
nunc partim generalem partim

S. X. Nunc ad opposita
lismo providentiae contradixeru-
i p̄is verbis, sive certis hypothesib;
& quid momenti in eorum senti-
lumus hanc dissertationculam u-
erescere, videantur de hoc Au-
solutionum fontes indigitamus.

a) amicitia & confusio, o-
probrius defectum cause univer-

B) Item miserabilis virorum
commendat fortunam, fors, gen-
um vocandi divinam providentia
sed potuit tale dubium solvi ex
post mortem superstite secundi.
in consortio corporis merita est
ex ratione, verbo illuminata, & si

otens, ex ordine & di-
ente Augustino; & chae-
tratione.

ex sit, divisionem non
videndarum diversi-
illa tota natura com-
s directa cura; specia-
s gaudent prærogati-
ram intellectuali-
eximiis dignatus est
dio eandem peculia-
curam interdum vi-
utè sed certa fit limi-
quod Apostolus
t, sc. specialem, quæ

De illa autem Pro-
ris pandectis, & cuius
hic non agimus, cum
us, sed eam tantum
ualis est illa, quam
cupavimus.

os, quivel in genti-
ter Christianos, sive
stant, desle stendunt,
ndum foret, sed no-
ademix morem ex-
; nonnullos tantum

nundo appareat, non
cularis & proximæ
& fides ad meliorem
titit occasio in dubi-
Claudiano constat,
us justus cum animâ
elit agere, quodque
ristiano autem rem
è consuli potest, no-
vimus




Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. _____
Patch Reference numbers on UTT